

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exegesis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

I. Ἀνθρωπολογία, sive notitiam nostri.
 II. κρισις νοσητων, sive notitiam Christi.

J.J.

Exegetis.

DE Imperatore Augusto legimus, quod magna Poeseos voluptate captus, ideoque cum praestantissimis Poetis, Virgilio & Horatio familiariter conversatus fuerit. Aliquando medius inter ipsos sedebat, & quia Virgilius ut Melancholicus, itentidem ingemiscibat: Horatius vero lippos oculos habebat, ideo joco Caesar dicebat:

Hic lacrymas inter sedet, & suspiria Caesar.

Sed caelestis Augustus, Servator noster piensissimus non jocatus est: verum, ut semper infirmis & maestis hominibus cinctus fuit: ita imprimis in praefecto Evangelio audimus, quod a fronte princeps Synagoga Jairus ab ipso petit, quia defuncta sit filia sua, ut veniat, & imponat manum suam super eam: non enim dubitare se, si hoc impetraverit, fore, ut in vitam revocetur. *A tergo vero accessit mulier haemorrhaisa, & tetigit fimbriam vestimenti ejus.* Dicebat enim intra se: Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero. Ita vere tunc stetit inter suspiria & lacrymas, ut Aaron inter mortuos & viventes, cum reconciliaret Deo populum, Num. 16, 48.

Occasionem notitiam nostri discendi, praebet nobis hodiernum Evangelium si spectemus:

I. *Jairi petitum.* Hinc Evangelista ait: Ecce princeps unus accessit, & adoravit eum dicens: Domine, filia mea modo defun-

cta est; sed veni, impone manum tuam super eam, & vivet.

Jairus vir erat autoritate valens, ἀρχὸν τῆς συναγωγῆς, ut Lucas loquitur, c. 8, v. 40. Hic unicam habebat filiam, annorum duodecim, & ut ex omnibus circumstantiis apparet, optimae spei: haec aegrotabat, adeo, ut nulla spes superesse videretur, in extremis enim erat, ut Marcus innuit, c. 5, v. 23. jamjam moritura, Luc. 8, 42. Haec miseria stimulabat parentem sollicitum, ut opem quaereret apud Christum, de quo sapius audierat, quod non modo morbos insanabiles curaret: sed & a morte redimere possit, idque non semel probaverit. Dum vero in via est, nuncium affertur, ne ultra magistrum vexaret, mortuam enim esse filiam suam. Hoc ipso non absterretur, sed certa fiducia alitur, si modo Christus manum suam ipsi imposuerit, fore ut ipsa reviviscat, praecipue quia ipse Christus eum solatur, & dicit: Noli timere, crede tantum, & salva erit, Luc. 8, 49. seqq.

Apparet hinc:

I. *Crucis usura.* Christus jam diu commoratus fuerat in Capernaum: verum Jairus non magni eum fecit, donec a cruce infestatur, tum auxilium quaerit apud eum, qui operatur salutem in medio terrae, Psal. 74, v. 12.

Hic examinate, mi Christiane! utrum & ipse via huic insistent, tempore necessitatis apud Christum unice opem & solatium quaesiveris?

Inveniuntur, qui in rebus adversis, non recta ad Christum, sed ad sanctos demortuos pergunt, ut in Papatur fieri videmus, h. e. derelinquere fontem aquae vitae, & fodere sibi cisternas: cisternas dissipatas,

tas, quæ continere non valent aquas, Jer. 2. v. 13.

Alii ad magos & incantatrices sese conferunt, ut Saul, 1. Sam. 28, 7. aut Diabolum consulant, ut Ahafia, 2. Reg. 1, 2.

Sed hoc grande peccatum est. Ad Christum vero confugiendum, ejusque auxilium patienter expectandum est, ipse vulnerat enim & medetur, Job. 5, 18.

2. *Parentum cura.* Jairus filiam suam non negligit, sed curam ejus agit, & omni studio in id incumbit, quomodo medium inveniat, quo illa in vita conservetur. Hoc insita *5027* ita requirit, cujus vi pater filiorum suorum miseretur, Psalm. 103, v. 13. & mater filii uteri sui oblivisci non potest, Esa. 49, v. 15.

Hic probate, mi Christiane! an & ipse liberorum tuorum curam ita gesseris, & eorum temporalem & spiritualem salutem promotum iveris?

Occurrunt enim ejusmodi profligati parentes, qui non aliter ac pecora liberos suos æstimant, imo majorem rationem boum quam liberorum habent: hinc videmus ipsos non usque adeo sollicitos esse, quando ægrotant, sed relinquunt eos sine auxilio, ut sæpe dispereant: quin & in educatione adeo negligentes sunt, ut neque domi ad preces eos compellant, neque in scholam ad erudendum mittant: sed sicut eosdem in flagitiis adolefcere, donec à carnifice castigentur, aut anima & corpore in infernum deveniant.

Hæc plus quam *barbarica immanitas & inhumanitas* est, ut Lutherus cenfet in explicatione Geneleos. Ejusmodi enim farina homines deteriores bestiis sunt, quæ pullos suos curant, defendunt, alunt, quin & dracones porrigunt mammas catulis suis, &

lactant eos, Thren. 4, 3. O quam gravissima ratio his reddenda erit, si quis enim suorum & maxime domesticorum curam non habet: fidem negavit, 1. Tim. 5, 8.

3. *Recte precantium figura:* Jairus adorat Christum, & plane confidit, modo velit Dominus, posse cum defunctam filiam vitæ restituere.

Hic in examen tecum descende, utrum & ipse hoc modo preces tuas fuderis?

Ejusmodi devotio hodie plane frigescit. Multi enim plane non orant: multi sine fiducia orant. Imprimis quando media non apparent, quomodo è tribulatione liberari possimus, sicut eques Samaritanus ex diffidentia dicebat: Si Dominus etiam fecerit cataractas in cælo? 2. Reg. 7, 2.

Hæc etiam causa est, quod petentes non exaudimur, eò quod male petimus, Jac. 4, 3. Oculi enim Dei respiciunt fidem, Jer. 5, 3. & quicquid non est ex fide, peccatum est. Rom. 14, v. ult.

II. *Hæmorrhousa flagellum*, ut Marcus morbum ejus exprimit, c. 5, 34. Sicut enim cibaria, & virga, & onus asino debentur, Sir. 35, v. 25. Sic & nos præter plurima & amplissima beneficia, quibus hos Deus affatim cumulat, virga & onere nostro indigemus; ne extollamur, sed in via pietatis pergamus. *Mala enim, quæ nos premunt, ad Deum ire compellunt.* Gregorio dicente, ut cum Israelitis dicamus: Venite, & revertamur ad Dominum Ose. 6, 1.

De hæmorrhousa dicitur, quod à plurimis medicis multa per pessa, in medicos omnem suam substantiam erogaverit, nec ab ullo potuerit curari, Luc. 8, 43. hoc sane grave flagellum fuit!

Hic velim inspicias te, mi Christiane! annon & ipse ejusmodi flagello labores: non dubito,

bito quin id sentias, si non corporaliter, certe tamen spiritualiter?

Quis quæso sine afflictione est? multa flagella impio, ait David, Psal. 32. v. 10. sed pii sane non exclusi sunt, flagellat enim omnem filium, quem recipit Deus, Heb. 12. 6. Hoc nemini mirum videri debet. Nonne Christus ipse in prator Pilati innocenter flagellatus est, quid de nobis dicemus? Si non exivit sine flagello, qui sine peccato venit quomodo flagellis digni non erunt, qui in peccatis vivunt? inquit Gregorius. Si in viridi ligno hoc factum est, quid in arido fiet? Luc. 23. 31.

Imprimis vero confitendum nobis est, quod omnes sanguinis reatu laboremus, sicut scriptura sæpe vocat. Vide Esa. 1. 15. cap. 4. v. 4. 5. 9. v. 3. Ose. 4. 2. partim ratione abominationis quia Judæi abhorruerunt à sanguine, Levit. 17. 10. partim ratione animadversionis, quia mortem merentur, & juxta legem Mosaicam sanguine vindicari debent, juxta illud: Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, Deut. 19. v. ult.

Hic non incommoda comparatio institui potest inter peccata, & sanguinis fluxum quo hæc mulier laboravit:

1. *Ratione impuritat*. Quemadmodum enim mulier fluxum sanguinis patiens immunda erat, ut septem diebus separanda fuerit, & omnis qui tetigerit eam pariter immundus erat, usque ad vesperum, Levit. 15. v. 19. 20. sic & nos omnes sumus natura, velut menstruata, Thren. 1. v. 8. justitia nostra est, sicut pannus menstruatae, Esa. 64. vers. 6. Cogitationes, verba, & facta quasi putredo, Job. 13. v. ult. Hoc peccatum efficit, quod adeo nos infecit, ut in carne nostra non habitet bonum, & volen-

tibus facere bonum, malum adjaceat, Rom. 7. v. 21.

2. *Ratione debilitatis*. Quemadmodum enim hæmorrhousa ferme plane enervata erat, ob sanguinis fluxum, in quo anima est, Levit. 17. v. 11. Sic & nos adeo debiles & infirmi sumus à natura, ut à nobis ipsis, tanquam ex nobis ipsis non idonei simus ad cogitandum quicquam, nedum ad faciendum, 2. Cor. 3. v. 5. Peccata enim nos & Deum nostrum dividunt, Esa. 59. v. 2. in quo solo vivimus, movemur & sumus, Act. 17. v. 28.

3. *Ratione perpetuitatis*. Quemadmodum enim hæmorrhousa inquieta fuit, & semper auxilium quæsit, quod tamen non invenit: sic & impii quasi mare fervens sunt, quod quiescere non potest, Esa. 57. v. 20. quærunt quidè auxilium: sed loco inconveniente, & quia alium sequuntur, multiplicarunt molestos labores suos, Psal. 116. 4.

4. *Ratione incommoditatis*. Sanguinis fluxus, quo Deus femineum sexum affecit, natura bonus est, & habet commoda sua: quando vero Deus punire vult, id quoque homini noxium est, quod ipse ordinavit, ut exemplam mulierculæ hujus probat. Sic Deus homini sæpe egregia dona concedit, sed abutitur homo iis, ut sibi in flagellum cedant. Sic Tertullus abusus est eloquentia, Act. 24. 1. Achitophel consiliis suis, 2. Sam. 16. v. 23. c. 17. v. 1. seqq. Dives epulo opibus, Luc. 16. v. 19. sic nihil est, quod impiis non flagellum, ob abusum fieri possit. Sirac. 40. v. 31.

5. *Ratione diuturnitatis*. Veluti enim hæmorrhousa hæc malo hoc non hebdomada, mensem aut annum: sed duodecim

Fff annos

annos laboravit: sic & peccatum nobis semper adhæret, Hebr. 12. v. 1. & habitat in carne nostra, quamdiu vivimus, ut inde causa sit querendi: Scio, quod in me, hoc est, in carne mea, non habitat bonum, Rom. 7. v. 18.

Hanc miseriam nostram agnoscere, & cum hæmorrhousa hac Christum vera fide accedere debemus, ipse est medicus probatissimus, qui *singit plasmata, antequam faciat vulnera*, ut Evagrius dixit. Sanguis ejus melius loquitur, quam Abel, Heb. 12. 24. si eum vera fide apprehenderimus, in omnibus calamitatibus animosi esse possumus, angelus percutiens certo transibit, & nullum nobis damnum inferet, Exod. 12. 23.

III. *Christi ludibrium*. Cum veniret enim Jesus in domum Principis, omnia ad funus curandum instructa erant. Funus in retro positum, tibicines parati ad stabant, & populus in funus proditurus, frequens aderat. Sed id Christum non absterret. Potius humaniter alloquitur populum, ut redeant, non enim mortuam esse puellam, sed dormire. Propterea irridebant eum, quasi ex imprudentia hoc Christus dixerit, non reputantes quod respectu Christi revera dormiret, nec mortua esset.

Hic scruteris velim te, annon & ipse nunquam Christum irriseris, & verbum ejus pro ludo duntaxat habueris?

Hoc non adeo infrequens est, sed potius verum est illud Christi: Justificata est sapientia ab omnibus filiis suis, Luc. 7. 35.

Quilibet ejusmodi mortuorum tibicines in domo cordis sui habet, qui in operibus mortuis delectantur, & nihil magis optant, quam ut caro palmam obtineat, & spiritus supprimatur, quod etiam sæpe obtinent, omne enim figmentum cogitationum cordis

pravum est, Gen. 6. 5. & facile inescatur per concupiscentiam carnis, per concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ, 1. Joh. 2. 16. Ut perficiat, quod hic delectat, in æternum vero cruciat. Concupiscentia enim parit peccatum, Jac. 1. 15.

Ejusmodi mortuorum tibi cen vario quoque *occæcata* est, quæ mysteriis divinis non se accommodare potest: sed ubique vacillat & titubat. In primo *Artic. de creatione*: quomodo aliquid ex nihilo fieri potest? In secundo *Articulo de Redemptione*: Quomodo Deus potest esse *Dei & hominis*? In *Articulo de Sanctificatione*, quomodo aqua hominem regenerare & à peccatis mundare potest? Quomodo Christus in cœna corpus & sanguinem suum exhibere potest! & id genus alia. Animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, 1. Cor. 2. 14.

Huc quoque *Epicurei* pertinent, qui quæ Scriptura de vita æterna, de resurrectione carnis, de extremo judicio, & inferno docet, pro meris nugis & inanibus terculamentis habent.

Potissimum vero referendi huc sunt hæretici, de quibus Petrus ait, quod scripturas detorqueant, 1. Pet. 3. v. 16. Quod Christo ipsi aliquoties obtigit. Cum enim Jesus diceret: Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud: Dixerunt Judæi: Quadraginta & sex annis &c. Joh. 2. 20. Luc. 22. v. 24. Joh. 8. 56. 57.

Idem adhuc hodie subinde ita fit, & quamvis verbi ministri & Concionatores, quod officii sui est, faciant, & hominibus clare inculcent, quid credere aut reprobare debeant, tamen furdis narratur fabula, & in præconcepta opinione sua tenaciter perseverant. Hi mortuorum tibicines merito censendi sunt, qui omnia fusque deque habent,

bent, & pessundant, quod præcones ædificarunt, & plantarunt, ideo expellendi sunt, si Christus virtutem suã, iis exerere debeat. quicumque enim honorificaverit me, glorificabo eum, 1. Sam. 2, 50.

De Secundo.

TRansibimus nunc ad *alteram partem*, *Χριστοῦ ἰστορίαν*, sive *notitiam Christi* contemplaturi. Hic nobis meditandus proponitur:

I. *Tanquam promptus auxiliator.* Vix enim Jairus sermonem suum finierat, & surgens Jesus sequebatur eum, & discipuli ejus.

Si servator cum hoc principe Synagogæ exostulare voluisset, sat causæ habuisset, tunc dubio enim inter illos fuit, qui Christo ratione novæ doctrinæ infensi fuerunt. Idcoque & jam auxilium suum ipsi denegare potuisset. Sed eo neglecto Christus eum secutus est, quo ipsi succurreret: lætatur enim ad benefaciendum nobis, Jer. 32, 41.

Hactenus hic *synagoga princeps Christum parum curarat*: jam vero ubi cruce affligitur, à Christo opem petit, id non denegat ei Christus, licet hactenus pœnitentiam suam procrastinasset.

Sic si & tu *pœnitentiam differens*, diaboli laqueis irretitus es, in quibus te ad iniquitatem duxit, quo minus ad pœnitentiam pervenire poteris, *vi per rumpe*, & revertere ad Christum, qui & illos non vult rejicere, qui circa horam undecimam in vineam veniunt, Matth. 20, v. 6. Sat cito si sat bene: sed cavendum, ne tempus pœnitentiæ perdamus; non enim est opus virium humanarum, sed Dei, ideo Deo ad pœnitentiam nos vocanti non resistere debemus, Sir. 18, 22.

Princeps Synagoga adhuc infirmus in fide

erat, licet enim crederet, Christum filiam suam in vitam revocare posse: tamen præsentiam Christi, ejusque manus impositionem requisivit, non tamen propterea à Christo rejectus est.

Sic noli desperare, mi Christiane! *quavis fides tua tempore necessitatis imbecillior sit.* Habes enim ejusmodi Servatorem qui calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non exstinguet, Esa. 42, v. 3. Ideo David ait: si benedictus ceciderit, non projicietur, quia Dominus sustentat manum suam. Psal. 27, v. 24. Modo assidue oremus: Domine adauge nobis fidem, Luc. 17, 5. Marc. 9, v. 24.

Princeps Synagoga, in eam angustiam devenerat, in qua nemo ei optulari poterat, filia enim ejus defuncta erat, verum apud Christum auxilium invenit.

Nos quoque ad eum fugiamus, quando in magnas angustias incidimus, & ignoramus quid agere debeamus, sicut Josaphat, 2. Chron. 10, v. 12. est enim mutatio dexteræ ejus, Ps. 77, 11. & si nusquam auxilium apparet, tamen prope timentes salus ejus, Psal. 85, v. 10.

Auxilium ejus est *omnipotentissimum.* Homines sæpe libenter in malis succurrerent: sed non possunt, ut constat ex 2. Reg. 6, 27. Sed Dei manus abbreviata non est, ut non possit redimere, Esa. 50, v. 2. Non enim impossibile apud eum ullum verbum, Luc. 1, 37.

Auxilium ejus est *presentissimum.* Cives Hierosolymitani in Ægyptum ablegarunt opem adversus Babylonios petunt: sed melius multo fecissent, si Dei opem implorassent, qui non modo valida dextera ex Ægypto eos liberaverat, sed & gentes ante ipsos expulerat, & in Palæstinam introduxerat,